

Yale University Library Digital Collections

Title	Ceremoniae a Saturioua in expeditione aduersus hosts profecturo, observatae, pl. XI [11]
Call Number	Taylor 192 1-3
Collection Title	Brevis narratio eorum quae in Florida Americae provincia Gallis acciderunt, secunda in illam nauigatione, duce Renato de Laudoniere ... anno MDLXIII. Quae est secunda pars Americae ... Auctore Iacobo Le Moyne, cui cognomen de Morgues ...
Rights	The use of this image may be subject to the copyright law of the United States (Title 17, United States Code) or to site license or other rights management terms and conditions. The person using the image is liable for any infringement.
Container information	Pt. 2
Generated	2022-05-18 21:26:28 UTC
Terms of Use	https://guides.library.yale.edu/about/policies/access
View in DL	https://collections.library.yale.edu/catalog/2000802

Ceremoniæ à Saturioua in expeditionem aduersus
hostes profecturo, observatæ.

XI.



In secunda Navigationis compendio dictum est, Gallos cum Saturioua Rege potente eorum vicino fœdus & amicitiam contraxisse, ut arcem in ejus ditione extruere possent, atque ipsius amicis amicos, hostibus verò hostes futuros; præbituros etiam aliquot pyxidarios offerente se occasione. Tribus igitur circiter mensibus ab inito fœdere mittit ille Legatos ad Laudonnierum pyxidarios ex fœdere postulatam: bellum enim aduersus suos hostes se gerere velle. Laudonnierus misso ad eum Caillio Centurione cum aliquot militibus humaniter ostendit se nullos milites tum temporis mittere posse, quòd speraret se hostem ei conciliaturum. Ille indignatus tali responso (nam expeditionem differre non poterat, cum annonam necessariam comparasset, & vicinos Reges jam in subsidium convocasset) profectiorem statim instituit. Præsentibus ergo ijs qui à Laudonniero missi fuerant, milites pro consuetudine Indica pennis & aliis rebus ornatos in planiciem accersit, vicini Regi facti ipsum cingentes in orbem confederunt, Rege in medio relicto: deinde accensa ad latus ejus sinistram pyra, & collocatis ad dextram magnis duobus vasis aqua plenis, Rex veluti ira percitus oculos contorquens, gutture quidpiam submurmurans, varioque gestus faciens, subinde horrendos clamores edebat, eosdem clamores iterabant milites, cum armorum strepitu coxas ferientes. Ille deinde accepta lignea lance ad Solem se obvertit venerabundus, & victoriam aduersus hostes ab eo petens: ut quæ nunc sparsurus erat eam aquam quam lignea lance hauserat, sic hostium sanguinem effundere posset. Magno igitur impetu aqua in aërem coniecta, & in suos milites recidente, addebat, ut ego de hac aqua feci, idem de vestrorum hostium sanguine facere possitis exopto. Effusa autem in ignem qua in altero vase erat aqua, inquit, sic vestros hostes extinguere, & capitis ipsorum cutem referre queatis. Inde surrexerunt, & terra flumineque aduerso in expeditionem profecti sunt.